MISSA
S. FRANCISCI XAVERII
SOCIETATIS IESV
CONFESSORIS.

A Sac. Rituum Congregatione recognita, & approbata, die 3 Novembris 1663.

IN FESTO
Die 3. Decembris. S. Francisci Xaverii Confessoris.

Introitus.

Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, & lingua ejus loquêtur judicium: lex Dei ejus in corde ipsîus. Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitâtem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Indiârum Gentes beáti Francísci prædicatiône, & miráculis Ecclésiæ tuæ aggregâre voluísti; concêde propítius, ut cujus gloriôsa mérita venerâmur, virtûtum quoque imitêmur exémpla. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl. 31. Beâtus vir, qui invéntus est sine mácula: & qui post aurum non ábiit, nec sperâvit in pecúnia, & thesáuris. Quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probâtus est in illo, & perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, & non est transgréssus: fácere mala, & non fecit: ideò stabilîta sunt bona illîus in Dómino, & eleemósynas illîus enarrâbit omnis Ecclésia sanctôrum.

Graduale. Iustus ut palma florêbit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. Ps. 91. ℣. Ad annunciándum mane misericórdiam tuam, & veritâtem tuam per noctem. Allelúja, allelúja.

℣. Beâtus vir, qui suffert tentatiônem: quóniam cùm probâtus fúerit, accípiet corônam vitæ. Allelúja. Iac. 1.

Post Septuag. omisso Allelúja, & ℣. sequenti, dicitur Tractus.

Ps. 111. Beâtus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectôrum benedicêtur. ℣. Glória & divítiæ in domo ejus, & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur Allelúja, allelúja.

℣. Beatus vir, qui suffert tentatiônem: quóniam cùm probâtus fúerit, accípiet corônam vitæ. Iac. 1. Allelúja. ℣. Amâvit eum Dóminus, & Eccl. 47.

ornâvit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

Sequéntia S. Euangélii secúndùm Lucam.

Luc. 12. c. IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, & vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum quando revertâtur à núptiis: ut cùm vénerit, & pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se, & fáciet illos discúmbere, & tránsiens ministrâbit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, & si in tértia vigília vénerit, & ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitôte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigilâret útique, & non síneret pérfodi domum suam. Et vos estôte paráti, quia qua hora non putâtis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium. Véritas mea, & misericórdia mea cum ipso: & in nómine meo exaltábitur cornu ejus. Ps. 88.

Secreta.

PRæsta nobis, quæsumus omnípotens Deus: ut nostræ humilitâtis oblátio, & pro tuôrum tibi grata sit honôre sanctôrum, & nos córpore páriter & mente puríficet. Per Dñm nostrum.

Communio. Beâtus servus, quem cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum. Matt. 24.

Postcommunio.

QVæsumus, omnípotens Deus: ut qui cæléstia aliménta percépimus: intercedénte beáto Francísco confessôre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniâmur. Per Dñm nostrum, &c.